



A Eterùm cū iam ex prius descripto fūdamento, valli structura attollēda est, vt sursum verius introrsū coeans, subinde euadat arctior, prius expediet superiori pauimēto ābitū circūscriptione praefinire, lineisq; repraesentare, qualē murorū cōmensurationē symmetriāq; intra sese habiturū sit. Quæ quidem perscriptio seu definitio huiusmodi ferè methodo commodè absoluetur. Primò, vt & supra à nobis factum est, lineæ d. e. hancq; crucis in formam intercipientis transversa f. g. protrahentur. Secundò deinde loco punctis k. h. ita, vt in præcedente figura, constitutis, character i. super. g. h. linea quindecim pedes retrorsum versus. h. trāsferetur. Deinceps ex k puncto, ambitus circino perscribetur per i notam, vtroq; versum ad lineā d. e. procurrens: ac qua linea incurua rectā illam contigerit, illinc vtrobiq; retrorsum versus duæ lineæ rectangulæ ad quadraginta pedes vsq; protrahentur, vbi rursus, itidem vt supra, literæ l m depingendæ sunt, quæ lineæ tractu sibi mutuo iungentur. Hoc igitur modo deprehenditur, quam tum longitudinis tum latitudinis rationē suo ambitu fundamentū hoc superius fortiatur. Structura enim super k. g. lineæ, quæ crucem exprimit, pedibus triginta exilior, super d. e. verò trigintaquinq; circiter breuior efficitur in hoc pauimento, quàm in ima sui radice extitit. Iam proximū est, vt muros in hoc fundamento & directos & recuruos aptè distinguendi contrahendiq; rationem commonstremus, vt hæc distributio certa quadā analogia, priori illi, quæ in imo valli perfecta est, respondeat. Atq; istius rei huiusmodi quidē methodus, tam exacta quàm erudita assignari potest. In fundamento depresso super lineæ k. h. g. omnia puncta quibus curuati muri crassities, arearumq; quæ ibi concluduntur, latitudo distinguitur, vnā cum literis eam ad rem designandam destinatis, in lineā transversam recipientur, cuius siquidem initium i, finis l. m. literis distinguendus est. Deinde ex. h. puncto, lineæ ad perpendicularum affurget in eam vsq; longitudinem, quam vsus operisq; ratio postulauerit. Ceterùm ex superiore fundamento, quod introrsum paulatim coire diximus, lineæ crucem præ se ferentis longitudo vnā cum i. h. characteribus, consimiliter & posterior vsq; ad extremos structuræ terminos longitudo inter l. m. mutuata, in lineam quādam excipietur, cuius. h. punctus, lineæ quæ ex inferioris fundamenti. h. nota ad perpendicularum cōsurgit, ita applicabitur, vt inferiori lineæ i. h. & l. m. parallela existat. Hinc inde lineæ sursum versus ducetur per i. i. & h. h. characteres oppositos rectā transiens. vbi o elementū exarabitur. His ita cōstitutis, allata regula hoc modo vsurpabitur, vt altero eius termino in o spatio commorante, alter seriatim per singula transversæ i. h. lineæ inferioris fundamenti puncta perferatur: ex quibus deinde lineæ rectæ versus o, ad i. h. vsque superiorem parallelam ducuntur. His enim superior parallela equis portionibus intercepta, inferiori i. h. analogicè respondebit. Sub hæc, regula duobus l. m. & l. m. locis accommodata, tractus ad o. h. vsque lineam describendus est, vbi p. litera depingetur. Ac deinceps amissis altero termino in p. elemento immobiliter subsistente, alter per singula puncta lineæ inferioris, inter h. & l. m. transferendus est, ex quibus